

quibus per verbum pax data est: Illa autem spiritualis natiuitas processus est verbi à Deo patre ad mentem rationalis creature, pro ipsius gratuita illustratione. *Excit. lib. 2. a pag. 387. ad pag. 388.*

Eiusdem, sermo 2. Christus non est compositus ex verbo & homine, quia verbum Dei quod Christus est, non esset, deitas nec Deus, nec homo; nec Christus fuisset ab æterno: Sed compositus est ex corpore & animâ, similis speciei nobiscum. Mirabilis profunda, & sancta est hæc vnio quia diuina natura in Christo mansens suppositum communicat, & usurpat sibi omnem proprietatem quæ humanæ naturæ assumptæ in ratione suppositi aut personæ conueniret, &c. *In lib. 2. excitationum a pag. 388. ad pag. 389.*

Eiusdem in sequentia sermo. Pax hominibus bonæ voluntatis quo per subtilem argumentationem Deum esse pacem nostram demonstrat; hæc est. Concidentia causarum, efficientis, formalis & finalis in solo Deo, reperienda, est pax tricautalis vnitatis; vnde hæc pax quæ trinitas, est locus eius & habitatio, il altitudine speculationis, & hic est Deus. Pax diuina hæc est, sine qua nihil subsistere potest. Prudētia spiritus, pax, & vita. Sapientia igitur Dei in spiritu, est pax eius & vita; Vnio deitatis cum humanitate est suprema pax, nam est vnio pacis seu requiæ æternæ, &c. *Excitationum lib. 5. a pag. 497. ad pag. 499.*

Idem, sermone in Euangel. Ioann. 1. *In principio erat verbum, &c.* Postquam Deum esse simplicissimū & omnis boni, perfectionis, virtutis & veritatis originem, etsi variis denominetur appellationibus, vt iustissimi prouisoris, vniuersi dominatoris, potentissimi, mansuetissimi; ineffabilis &c. manifestauit; lectionem Euangelicam enucleat & Primò. Sanctissimum verbum ante omne tempus in ipsa æternitate, vel in ipso principio summo, id est in Patre esse affirmat; loquitur autem hoc verbum Deus qui nullum congruit tempus; In illa Natiuitate suam essentiam & om-

nem perfectionem dat generato. Secundò. Ab ipso Deo trino & vno fluxisse creaturas, spirituales tantum, vt Angelos & intelligentias; corporales tantum sc. vegetatiuas, sensitiuas, elementatiuas; mixtas ab vtrâque procedentes, videlicet homines, probate euidenter. Tertiò. Sine ipso factum nihil, sc. peccatum quod à primo parente traxit originem ostendit, ad quod purgandum, veritas, & misericordia, bellum habent, &c. *Excit. lib. 1. a pag. 358. ad pag. 364.*

Eiusdem, in sequentia prædicti Euangel. verba *Vita erat lux hominum.* Sermo in quo subtili ratiocinatione ad Dei cognitionem obligat dum ita effatur; Per verbum Dei nos tam in esse prodijimus quam sumus illuminati in ratione; sed cum intelligere nostrum sit nobilissimum viuere, si poterit intellectus intelligere lucem suæ intelligentiæ, quæ est verbum Dei, tunc attingit suum principium quod est æternum, & eius filium per quem ductus est ad principium; igitur Deus est cognoscendus & ex hac cognitione vita æterna dependet. Huius cognitionis modum ex rebus sensibilibus, & abstractis à sensu elicuit, quo videre possis Deum generantem, generatum, & procedentem & hæc visione seu cognitione beati, vide *In lib. 1. excitationum a pag. 364. ad pag. 376.*

Eiusdem, de æternâ generatione sermo, quo ex his verbis *Verbum caro factum est &c.* de eâ differens affirmat Diuinam natiuitatem esse processum intellectus verbi à Deo patre; quia cum sit Deus principium intellectuale omnis creaturæ, agens per intellectum & voluntatem; necesse est in ipso esse mentale & intellectuale verbum, in quo se & cætera intelligat. Deinde in personis diuinis distinctionem esse 1. formalem & modalem, quâ aliquid affirmatur de vno & negatur de alio, licet vnum non negetur de alio, ita essentia diuina distinguitur à qualibet personâ, quia affirmatur aliquid de qualibet quod non de essentiâ, 2. realem, quâ licet Pater non sit filius est